



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MONGUENSIS\*** A DIOCESI

LIVINGSTONENSI IN ZAMBIA QUIBUS DAM DISTRACTIS

TERRITORIIS, NOVA CONDITUR MONGUENSIS DIOCESIS De universis ecclesialibus  
communitatibus solliciti, ministerium ab ipso Domino Nobis commissum omni ope et opera  
explicare innitimus, ut eiusdem salutaria beneficia et praecincta omnia loca contingent cunctasque  
gentes afficiant. Idcirco Nos res disponere properamus quo hoc facilius commodiusque eveniat.  
Quapropter de Congregationis pro Gentium Evangelizatione consilio, sententiam iis quorum  
interest rogatis haec statuimus et decernimus. In Zambia loca districtuum civilium quae  
appellantur « Kalabo », « Kaoma », « Lukulu », « Mongu » et « Sanga » a dioecesi Livingstonensi  
seiungimus atque novam condimus dioecesim, *Monguensem* appellandam. Hanc porro dioecesim  
suffraganeam facimus Metropolitanae Ecclesiae Lusakensi atque iurisdictioni Congregationis pro  
Gentium Evangelizatione subiectam. Ipsius novae dioecesis episcopalem sedem in urbe quam «  
Mongu » vocant locamus atque templum « Beatae Mariae Virgini de Lourdes » dicatum, in eadem  
urbe situm, ad gradum Ecclesiae Cathedralis elevimus, cunctis consentaneis concessis iuribus et  
privilegiis. Ad haec tandem explenda quae per has Litteras iussimus, Venerabilem Fratrem  
Iosephum Leanza legamus, Archiepiscopum titulo Lilybaetanum et in Zambia Apostolicum  
Pronuntium, facta etiam potestate subdelegandi quemlibet in ecclesiastica potestate constitutum.  
Re denique ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad  
Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis rebus minime obstantibus  
quibuslibet. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quarto decimo mensis Iunii, anno Domini  
millesimo nonagesimo septimo, Pontificatus Nostri undevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

JOSEPHUS card. TOMKO  
*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

---

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Horatius Cocchetti, *Protonot. Apost. s.n.*

---

\*A.A.S., vol. LXXXIX (1997), n. 10, pp. 673-674

© Copyright 1997 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana